XXVIII.

Decas Poſitionum Iuridicarum

DE

REVISIONE ACTORUM

QUAM

Magnifico & Ampliſſimo ICtorum

Senatu in Illuſtri & florentiſſimâ Salanâ conſentiente

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi atque Excellentiſſimi

DN. ERNESTI FRIDERICI SCHRÖTERI,

Hæreditarii in Wickerſtedt/ ICti & Antecelloris hujus Academiæ famigeratiſſimi, Conſiliarii Saxonici ſpectatiſſimi, Supremæ Curiæ Saxonicorum Ducum, Scabinatus item & Collegii Juridici Adſeſſoris graviſſimi & p. t. Decani ſpectabilis.

Dn. Præceptoris ac Promotoris ſui filiali cultu & obſequio vitam colendi,

amicæ ſubjicit Cenſuræ

CASPAR ANTHONIUS Walther/

VRATISLAVIENSIS.

AUTHOR.

IN ACROATERIO JCTORUM

Ad d. Aprilis.

JENÆ,

CASSITERIO BAUHÖFFERI, 1662.

QVOD SS. TRIAS BENE VERTAT!

PRÆFAMEN.

FAcilè me retraxiſſet à præſenti auſu iners ingenium, propoſitique inexperta revocaſſet ætas, veritus, ne eadem audire cogerer, quæ Phormioni olim bellicoſus objecit Hannibal: *Vidi, inquiens, ſæpe ſenes deliros, ſed qui magis quam tu Phormio deliraret, vidi neminem: Egone tam vecors ſim, ut tacere queam, viſo ſcilicet Homuncione, qualis tu es Philoſophus? qui cùm omnem vitam in exiguo Græciæ angulo Philoſophiæ ſtudiis deditus conſumſeris, tantum tibi audes ſumere, ut de rebus bellicis me audiente diſſeras ac diſputes; perinde ac ſi vel Dux Pœnorum vel imperator Romanorum fuiſſes. Profectò aut parum tu ſapis, aut flocci me pendis; quoniam ex verborum tuorum vanitate colligo, te ampliorem tibi rerùm militarium ſcientiam ex ſolâ librorum lectione, quàm Annibalem ex celeberrimorum præliorum arrogare experientiâ. Guevar. Horolog. princ. proœm.* Hujus etenim judicio in idem incurro crimen. Imparem me eſſe videor tanto oneri propter materiæ, quam propoſitam habeo ſummam difficultatem, jureque temeritatis ac audaciæ inſimulari poſſum, quod ſcientiâ juris adhuc parum imbutus hanc difficillimam de Reviſione materiam in medium proferre, ac publicè diſputare non erubuerim. At ſuaſit inſtitutum pertexere

thema ejusdem ſumma venuſtas atque utilitas, quoniam nobiliſſima hæc materia ſubinde magis magisque in Camera Imperiali frequentari ſolet, nec illi vix ulla propter inſignem uſum præferri poteſt. Hiſce permotus placet cœptæ inſiſtere viæ, *hoc eſt*, *Reviſionem Actorum* publico Commilitonum examini ſubmittere. In totâ verò hac diſquiſiione non meo indulgebo ingenio, ſed aliorum inſiſtā veſtigiis, qui hoc in negotio ſat ſunt conſpicui. Quia verò (*quod appoſitè ſatis id quod habet Everhard. in praamb. ad Topic. ſuam n. 23. ad hujus materiæ explicationem poteſt accommodari: dicit autem inibi:*) Juris ſtudium res eſt usque adeo laborioſa & ſubtilis, ut quis etiam poſt perlectum juris corpus parum admodum ſit aſſecutus, & tùm demum ignorantiam ſuam deprehendat, cùm ad ſcribendum de jure calamum arripuerit; Ideoque Te, clementiſſime Deus, devotiſſimis ac ſupplicibus veneror precibus, ut illa ſuppleas, quæ mihi virium denegat facultas; Tu enim res penitus deſperatas donare & conſummare Tuæ virtutis magnitudine potes. *Juſtinianus in Conſtit. Deo authore §. 2. C. d. vet. jur. enucl.* Quâ gratiâ Tuâ fretus produco.

POSITION. I.

Reviſio α eſt remedium extraordinarium β qvo in Camera γ læſis δ ex qvadam benignitate (ε) per Commiſſarios Imperatoris & Statuum Imperii ad id deputatos (η) revidendo acta ſuccurritur.

RE.

(a) Definitionem ut potiſſimam rei partem, *juxta Everhard. in loc. Topic. loc. à definit.* jam dedimus. Ante omnia verò ad notationem & Etymologiam Reviſionis attenti & curioſi eſſe deberemus: Juri enim operam daturum, *ſecundum Ulpianum*, prius noſſe decet, unde nomen juris deſcendat, *l. 1. pr. ff. d. J. & J.* & vera juris dicendi, ut & alterius cujusvis diſciplinæ ratio eſt, ut à notatione & Etymologiâ rerum telum ordiatur. Sunt namque verba notæ rerum. *Bald. in l. 5. C. d. injur.* imò ſunt rerum picturæ & teſſeræ. *Plat. in Cratyl. Andr. Knich. d. Autocrat. Rom. Impp. n.* 282. quæ profectò rei propoſitæ vim aperiunt, & non mediocriter illuſtrant. *Reink. d. Reg. ſec. & Eccl. in pr.* Verùm cùm hæc Thematis noſtri derivatio etiam pueris ſatis nota, inutile erit, de eâ verba hic facere, & multum laboris in eâ ponere. Revidere enim eſt propriè rem ſemel viſam iterum revidere, & ſic denuò videre, ſicut reficere eſt de novo facere, *l. 1. §. deinde ff. d. Rivis.* ſic etiam verbum reddere eſt retrodare *l. 94. ff. d. V. S.* Nimirum ſæpiſſimè evenire ſolet, ut quis, dum præprimis ſingulis rebus non adeò accuratè eſt intentus, à vero ſcopo aberret, & falſum pro vero amplectatur; divinum enim potius eſt quàm humanum, omnibus horis æquè ſapere, honeſtum ab inhoneſto, juſtum ab injuſto diſcernere, nec unquã ad dextram vel ad ſiniſtram declinare: ne autem præſumptâ illa veritas ſibi aut alteri ſit detrimento, aut quis conceptum iſtud imaginationis pondus alterius injuriæ præferat, reviſionem inſtituit, & priorem in meliorem & juſtiorem commutat ſententiam; ita etiam in Camerâ Imperiali interdum contigit, ut & ii, qui Themidis ſeſe ſacerdotes profitentur, & Jurisprudentiæ ſacris inaugurati, ſtrenui ac aſſidui hujus Divæ ſunt cultores, interdum à viâ aber-

 rent,

rent,(labi namq; humanum eſt) dum juris apicibus vel nimiū ſunt intenti, aut dùm inter varias & diverſas Dd. opiniones non ſemper æquè dextre dijudicare novére, nonnunquam falſam pro verâ arripiunt; frequenter etiam errore non juris ſed facti decepti, aliud quàm debent ſtatuunt. Ne quisquam tamen de ſummo hoc judicio Camerali jure conqueri poſſet, ſe per ſententiam iniquè gravatum, nec ullam ſibi ad cauſæ ſuæ juſtitiam demonſtrandam patere viam; Imperator & Status Imperii ſaluberrimum hoc reviſionis remedium introduxerunt, ad quod injuſtè gravati, tanquam ad ſacram anchoram confugere poſſent, nec non etiam judex & aſſeſſores Cameræ metu reviſionis futuræ in cauſis audiendis decidendiſve circumſpectiores eſſent, majoremque adhiberent diligentiam. *Ord. Cam. part. 3. tit. 53. Heig. p. 1. qu. 10. n. 66. Reink. d. Reg. ſec. & eccleſ. L. 2. cl. 2. c. 15. n. 5. Et hæc de Notatione ſeu explicatione nominis.* Porrò Reviſio vulgò & rectiſſimè quidem (*ut opinatur Roding. l. 3. Pandect. Cameral. Tit. 61.*) nuncupatur Judicium Reviſionis & Reviſorium. Cùm enim Reviſio judicialis quædam diſceptatio ſit, ut nemo harum rerum peritus inficias iverit, omnino judicium ſit oportet, ſed à Judicio Camerali diſtinctum atque ſeparatum. Judices enim hic non Domini Camerales, ſed alii ſunt, & proceſſus hic diverſus aliusque quàm Cameræ Imperialis: Si enim Reviſores procedendi modum ipſis in Ordinatione præſcriptum ſervant, de reliquo omnis ſolennitas atque ordo juris ipſis remiſſa videtur. *Bend. de reviſ. c. 18. n. 48.* Ex Definitione & jam dictis patet, qualis hic intelligatur reviſio, nim. quæ in Camera imperiali locum habet: aliàs in ſenſu largiori ſumta reviſio in quibusvis judiciis, etiam primæ inſtantiæ locum habet, quia revidere nihil aliud eſt, quàm ex actis judicare. *Gail. L. 1. obſ. 154. num. 2.*

His

His præmiſſis videamus nunc de reviſioni cognatis & maximè affinibus remediis, ut ſunt Appellatio, Reſtitutio in integrum, Supplicatio, Viſitatio, Syndicatus. Primum quod attinet, nimirum Appellationem, reviſio hujus naturam imitatur & in ejus locum introducta legitur, eundemque in finem datur, ut per eam iniquitas & imperitia judicum priorum Cameralium corrigatur, *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. in pr.* & hic finis certè cum appellatione communis eſt. Heig. *p. 1. q. 10. num. 64. 65. 66.* Differt tamen etiam quàm maximè ab eâ, uti videre eſt apud Berlich. *Concl. 60. p. 1.* Secundum eſt Reſtitutio in integrum, quia pleraque noſtræ definitionis membra huic quoque conveniunt; tamen in eo reviſio à reſtitutione ſecernitur (1) quod illa non coram eodem judice ſcil. Cameræ, ſed coram Commiſſariis Imperatoris & Statuum Imperii, *all. tit. 53. §.* Ob auch di. *reviſion. & §. ſeq. & tit. 50. p. 1.* proponi debeat: hanc verò coram eodem Cameræ judice proponendam eſſe probat, *tit. 52. p. 3. Ord. Cam.* (2) quod reſtitutio partis errorem, reviſio referentis culpam redarguit. Conf. Roding. *lib. 3. tit. 61. p. 801.* Tertium affine remedium eſt ſupplicatio, cujus naturam imitatur reviſio, quippe quæ in locum ejus eſt ſurrogata, uti patet *ex tit. 51. p. 3. Ord. Cam.* Differt autem (1) quod ſupplicatio intra biennium quandocunque offerri queat; reviſio verò non niſi eodem aut mox ſequenti anno proponi poſſit, uti *infrà Poſit. II. audiemus.* (2) In ſupplicationis negotio idem judex, vel etiam ſuperior aditur: Reviſio verò primò Electori Moguntino inſinuari, ac poſteà coram judicibus ad reviſionem deputatis, & non coram judice Cameræ expeditur. (3) Reviſio ad Cameram tantùm; Supplicatio verò ad quosvis inferiores judices, à quibus appellare non licet, pertinet, *l. 1. ff. de off. præfect. præt. Novell. 119. c. 5. Auth.*

qua

quæ ſupplicatio. C.d. precib. Imper. offer. An verò in foro Saxonico hoc ſupplicationis vel Reviſionis remedium locum habeat, controverſum eſt: Affirmant Henning. Goeden. *Conſ.62.n.1.& ſeq.* Zobel. *p. 1. deciſ. 40. n. 8.* Matth. Col. *in ſuo proc.exec.p.1.c.3.n.42.* ducti eâ ratione, quod Dd. generaliter tradant, ſupplicationem eſſe permiſſam, ubi appellare non licet. Jam autem Principes Saxoniæ hoc Privilegio eſſe donatos. Merito igitur per viam ſupplicationis ad illos poſſe recurri. Sed negantium rationes ut firmiores, videri poſſunt apud Magnif. Dn. Carpz. *P. 1. Conſt. 20. Def.16.n.7.& 8.* Berlich. *Concl.60.n.28.* Heig. *p.1.q.10. n.52.53. ſeq.* nimirum præterquam quod uſus locorum Saxoniæ inveteratus talem ſupplicationem repudiet, habentur ibidem ejus loco remedia Leuterationis & Oberleuterationis, & ſic inutilis eſt ſupplicatio. Cui enim bono actum denuò ageretur, lites in infinitum protraherentur, & tempus malè collocaretur, quod melius aliis negotiis poſſit impendi. Reviſioni quoque IV. cognata eſt viſitatio, quæ convenit cum reviſione, ſi judicandi, viſitandique facultatem ſpectes, perſonasque, quibus utraq; jurisdictio competit. Eorum enim eſt acta revidere, quos ordo viſitandi eo anno contingit; *all. tit.53. in pr. ibi.* So zu der Jährlichen *viſitation* verordnet / ſchreiben / 2c. ubi hæc eadem verba repetuntur: *ac idem eſt tx. in tit. 50. in pr. verſ.* Und im fall. *p.1.* Differt autē reviſio in ſe à viſitatione, quia illa tantum ſententiarum, quæ in Camera perperàm latæ prætenduntur, reformationem concernit, *ſecund. tit.53. per tot. p.3. O. C.* Hæc verò omnis generis defectus ac vitia, ſi quæ in Cameram irrepſiſſe videantur, corrigit. *tit.50. §.2.p.1.O.C.* Supereſt V. Syndicatus, qui maximè convenit cum reviſione, ut videre eſt ex *Ord. Cam. all. tit. p.3.* in petendo enim inſtituendove eadem forma, eædemque proceſſus leges,

quæ

quæ in reviſione obſervantur: Differentiam tamen intercedere *ex* §. *ult. d. tit.* apparet: Reviſionem ex imperitia, Syndicatũ verò ex dolo & malitiâ permitti, quando videlicet per ſordes, corruptiones, odio vel gratia partium judicatum eſt. Gail *L. 1. Obſ 153. in f.* Roding. *L. 3. Pand. Cam. tit. 60.* Ex his igitur videmus quid ſit reviſio, & quomodo differat ab aliis remediis & actibus ipſi valde cognatis.

(β) Quia reviſio contra regulas juris ordinarii, quod ſupremi judicis, cujuſmodi eſt judex Cameræ, concurrentem cum ſummo principe Jurisdictionem habens cumq; in cauſſis ſibi commiſſis repræſentans. *l. 7. & 74. ff. d. judic.* & ſecundum Gail *L. 1. obſ. 11. in f. & 29. n. 2.* ſententiæ omninò acquieſcendum eſſe dictat, per conſtitutionem imperii eſt introducta, certaque tantùm cauſarum ac perſonarum genera reſpicit, dum læſis in Camerâ, & quidem non omnibus, ſaltim conceditur. Præterea cùm ſupplicatio eam ob cauſam extra ordinem concedi dicatur, quod in ſubſidium appellationis, remedii ordinarii detur, quod iis per eam, quibus per appellationem conſultum eſſe non poteſt, propter judicis excellentiam, ſuccurratur, *l. 1. C. d. ſent. praf. prat.* quanto magis reviſio, quæ etiam in defectum hujus extraordinarii remedii ſupplicationis introducta eſt *per tit. 51. p. 3. O. C.* extraordinariis remediis adnumeranda erit? Vid. Emeric. à Rosbach. *c. 76. n. 2.* Berl. *p. 1. Concl. 60. n. 2. & 3.* Reink. *d. Reg. ſec. & eccleſ. L. 2. cl. c. 2. 15. n. 4.* Rumelin. *Diſſ. 3. p. 2. ad Aur. Bull. Tb. 20.* Quæ vero dicantur juris ordinarii, quænam extraordinarii latè & diſtinctè explicat Zaſius *lib. 1. ſing. intellect. c. 20.* Conf. Calvin. Lexic. Jurid. *in Voc. Ordinaria.*

(γ) Jam diximus in Camerâ tantùm Imperiali reviſionem, de quâ nobis ſermo, locum habere, quod probamus (1.) quia ſola Cameræ Ordinatio hujus ſaluberrimi memi-

nît beneficii, quam Ordinationem, judicium tantùm Camerale concernere, præterquam quod infinitis textibus convinci poſſit, vel ipſa inſcriptio teſtis eſt. (2) Expreſsè probatur per rubricam ſæpe allegati tituli 53. his verbis conceptam: Von Reviſion und Beſichtigung der Acten und geſprochenen Urtheilen am Käyſerlichen Kammer-Gericht. (3) etiam forma reviſioni ab Ordinatione Cameræ præſcripta, quæ nullo modo reformationi ſententiæ ab aliquo inferiori judice convenit, hoc probat. Extra Germaniam vero in Galliâ, Hiſpania, Regno Neapolitano & Ducatu Pedemontano Reviſionis uſum etiam invaluiſſe teſtatur Heig. *all. loc. num. 50.*

(*δ*) Subjectum, ſeu qui reviſionem petere poſſunt, ſunt à Camerâ læſi, die mit Kaiſer-Gerichts Urtheil beſchwert ſind. His enim nulla alia ratione conſultū eſſe poteſt neq; per viam appellationis propter ſummam judicis excellentiam, neque etiam per viam ſupplicationis, quoniam eſt reciſsa, & ejus loco reviſio ſurrogata, *tit 51, P 3. O. C.*

(*ε*) Exinde etiam reſultat, reviſionem eſſe juris extraordinarii & beneficiarii, ac proinde non meram concernere juſtitiam, ſed ex quadam gratiâ & benignitate eſſe conceſſam, ſecus atq; appellationē, quæ jure cōmuni ordinario & merâ juſtitiâ nititur *per l. 1. & t. t. ff. d. appell.* Ad hæc Dd. communiter, præterquam quod ſupplicationem ex benignitate & gratiâ concedi ſtatuant, etiam extraordinarium eſſe & ex gratiâ impertiri pro æquipollentibus, aut saltem neceſſariis conſequentibus ſumere videntur. Conf. Marant. *d. appell. n. 18.* Rebuff. *d. ſupplic qu. 11. diff. 1.*

(*η*) Ad hujus judicii viſitationem, quam ſingulis annis fieri olim placuit, quo ejus ſtatus ſemper firmus, illibatus ac ſartus tectus ſic urgente publicâ totius Imperii utilitate, ſummaque neceſſitate conſervaretur, non modò ab

Impe-

Imperatore Commiſſarii, ſed & ab ipſis Statibus conſilia- rii, ſecundùm tamen modum & ordinem *in tit. 50. p. 1.* præ- ſcriptum, & quidem ii, qui ipſa Themidis adyta penitiora perluſtrarunt, legumque ſacratiorum ſucco imbuti, nec non multarum rerum experentiâ valent, deputantur, quæ omnia ſatis clarè patent ex *tit. 50. p. 1. & 53. p. 3. O. C*, Add. Schvvanm. *Proc. L. 1. C. 75.* ut & Gail. *L. 1. obſ. 154. num. 1.* Ho- die per noviſſimum Imperii Receſſum propter accumu- lationem cauſarum antiquarum in Reviſorio pendenti- um conſtitutum eſt, ut Reviſores Status, eorumve rerum Cameralium periti Conſiliarii in [4. claſſes vel Sena- tus dividantur, ex quibus unus ſenatus ad novas, tres reliqui ad cauſas antiquas ordinentur, qui viſitationi, pun- cto juſtitiæ & reviſionibus expediendis Spiræ à 1. Nov. An- no 1654. usque ad 1. Nov. 1655. vocantes, hos inſequantur alii continuantes in eadem ſtatione ad 1. Maji An. 1656. poſtea ſingulis ſemeſtribus alii ſuccedentes Reviſionis & Viſitationis negotia abſolvant. Verùm ut quævis alia, ita & hæc initium nedum perfectionem adhuc efflagitant. Nam extra Epiſcopi Ratisbonenſis & Ducis Megapolita- ni Deputatos è Statibus præterea nulli Spiræ comparue- runt, uti videre eſt apud Roding. *in Edit. nov. L. 3. tit. 61. p. 923.* Dahero es noch wie vor heiſt: Es iſt wenig Nutz Sa- tzungen zu machen / da demſelben nicht nach geſetzet wird. Sunt verba *Rec. imper. d. Ann. 1570.* §. Alsdann *all. Rod. tit. loc.*

Sed quærat hîc aliquis, unde tantus cauſarum cumulus, cùm ſingulis annis ad judicii Cameralis viſitationem Spi- ræ convenerint Viſitatores? Ubi ſciendum, quod quidem viſitatio hæc Cameræ ſummo Reip. & litigantium bono, aliquot per annorum intervalla duraverit, ſed poſtea- quam Anno 1588. ventum erat in ordine Principum Ec- cleſiaſticorum ad Germaniæ Primatem Archiepiſcopum

Magdeburgenſem, qui tunc temporis erat Joachimus Erneſtus Marchio Brandenburgenſis, reformatæ religioni addictus, Catholici Status, ut votum & ſeſſionem in Comitiis, ita reviſoris quoque munus eidem denegarunt, unde factum, ut reviſiones Cameræ in hodiernum usque diem omnium afflictorum dolendis ſuſpiriis ferè immobiles hæreant. Conf. *Nov. Rec. imp.* §. Wir nun die überheuffte. Limn. *d. Jur. publ. T. 3. L. 9. c. 2. n. 198.* Notandum hîc, quod olim juxta ordinationem Camer. unus ex principibus eccleſiaſticis, aut ſecularibus viſitationibus & reviſionibus ordinariis in perſonâ adeſſe debuerit: Nunc vices ejus ſupplere poteſt Conſiliarius, modo qualificatus & inter ſuos collegas primipilus ſit. *Rec. Imp. d. Anno 1654.* §. zu Abkürtzung.

I. Qv. hîc (1) An Reviſores noſtri ſint judices ordinarii? Diſtingv. cum Bender. & affirmamus de ipſis Imperii ſtatibus, iis hanc in cauſſis revidendis jurisdictionem, eamq; ordinariam ab Ordinatione eſſe conceſſam. Negamus verò de Conſiliariis, quibus lex hanc poteſtatem non defert, *juxta l. 6. ff. d. J. dict.* Ideoque nihil proprii aut ſuo jure habent, ſed tantum mandatâ ſibi à Statibus Jurisdictione, & ſic alieno beneficio utuntur, ſecundum Papin. *in l. 1. §. qui mandatam ff. d. off. ej. cui mand. jurisd. & l. 5. ff. d. jurisd.* Bender. *c. 4. n. 31.* Aliter diſtingvit non tamen inconvenienter Vultej. *ad l. 1. n. 69. d. Jurisd. om. Jud.*

II. Olim quæſitum fuit; an ob unius alteriusve abſentiam cæteri acta revidere queant, vel an reviſio in annum ſequentem ſit differenda? Vid. Bender. *c. 4 n. 175.* Gylmann. *præjud. Cam. verb. Reviſio* Limn. *d. Jur. publ. all. c. 9. n. 220.* Hodiè per Rec. Imp. d. Anno 1654. §. zum andern hoc dubium ſublatum eſt, & ſancitum, ut ſequens in ordine advocetur ad ſupplendum vices abſentis.

Qv. III.

Qv. III. An Cameræ liceat Reviſores legitimis ex cauſis recuſare? Aff. ex *Rec. Imp. d. An. 1559.* §. Und nach dem ſich. & ita quandoque factum eſſe apparet ex dicto Receſſu.

Qv. IV. An etiam partibus hoc liceat? Quod æque affirmatur, *arg. d. Rec.* & ſic nomina reviſorum ad inſtantiam partis in Camerâ communicanda eſſe, ut poſſit contra eos excipere, tuetur poſt alios Reink. *d. Reg. ſec. & eccleſ. L. 1. cl. 2. c. 15. num. 21.*

POSIT. II.

Reviſio hæc Actorũ tribus menſibus ante primam Maji ejusdẽ Anni Electori Moguntino intimanda eſt; [α] qui ſi non ſuperſint, anno ſequenti peti debet. [β] Hodie inter quatuor menſes à die latæ ſententiæ computatos Dn. Electori Moguntino, vel ſi ipſum concernat cauſſa Trevirenſi Dn. Electori reviſionis ſchedula inſinuanda eſt. [γ]

RESOLUTIO.

(a) Modus & tempus reviſionem inſinuandi hic deſcribitur. Fit autem inſinuatio per memoriale ſeu ſupplicam Electori Moguntino,(ſi autem in ſuâ cauſa,aut alius contra illum reviſionem petat,tunc Elector Trevirenſis Moguntini partes ſuſtinet & ab eo eſt petenda.*d. tit.p.3.O.C.*)in qua ſignificatur, ſupplicātem ex ſententia hoc vel illo die in Camera lata (cujus copiam ſimul exhibet) ſe maximè gravatum ſentire, atq; in ordinatione præſcriptum remedium Reviſionis prehendere coactum eſſe, rogando hoc Cæſareæ Majeſtati & futuris Reviſoribus,ut & judicio Camerali Elector notificare velit. Formulam hujus ſupplicationis habet Schvvanm. *in Proc.Camer. cap.75* Gylmann. *in Symphor.T.2.p.3.tit.5.poſt ſupplic.14.* Quod dum pars illa læſa idipſum Archiepiſcopo Moguntinenſi dicto tēpore in ſcriptis ſignificavit, tunc Archicancellarius Cæſareæ Majeſtati & Electoribus nec non Principibus, Prælatis,Comitibus atque Civitatibus ad viſitationem deputatis hoc ipſum notificare tenetur,petendo, ut commiſſariis Imperatoris peritos,doctos,excellentesq; Cōſiliarios adjungant,mittantque,ut unà cum deputatis Commiſſariis, nec non Præſide & Aſſeſſoribus, à quibus ſententia concepta & publicata eſt omnia & ſingula cauſæ reformandæ acta ſummâ cum diligentia revideant & perlegant, atq; deſuper vigore jurium procedant, & qvod æqvitas ſuadet, decernant. Vid. Gail. *L. 1. obſ. 155.* Nic. Reuſner. *L. 3. Conſ. 21. num. 14.* Schvvanm. *Proc. Camerar. L. 1. c.75. num.1.* Et hæc de modo Reviſionem intimandi. Tempus inſinuationis quod concernit, illud aliquoties prorogatum eſt. Primum enim ſecundum Ordinationis Cameræ præſcriptum duobus menſibus ante primam Maji ejusdem Anni reviſio inti-

mari

mari debuit, uti patet ex *tit. 53. in pr.* Deinde terminus iſte Anno 1557. per viſitatores ad trimeſtre tempus extenſus eſt, uti conſtat ex §. Wie wohl ferner. Denique per noviſs. imperii Receſſum eſt ſancitum, ut reviſio intra 4. menſes à die latæ ſententiæ ſub pœnâ deſertionis peti debeat, *d. Rec.* §. *in* Fällen da. Ratio autem cur terminus iſte juſto brevior aliquantum prolongatus eſt, *ex all.* §. Wie wohl fe ner Innhalt / ſatis clarè colligi poteſt; nimirum non ſolùm ut ii, quos reviſioni intereſſe, neceſſe eſſet, certiores redderentur; Verùm etiam, ſi impetrans ſerâ pœnitentiâ ductus, potius deſiſtendum ſibi, quam cauſam temere proſequendam, adverſariumque inutilibus vexandum expenſis duceret, commodum eſſet tempus, quo ipſi à judicio impunè recedere, & id Statibus viſitationis denuò ſignificare liceret: quod recedens à reviſione ſex ante viſitationem Cameræ Imperii Hebdomadis Moguntino Electori renunciet ſumptusque eo nomine, ſo auff das aus und abſchreiben d.r reviſion und was ſonſten auffgangen factos refundat. Si verò non revocabit eo tempore, per calumniam petiviſſe judicabitur; arbitrio Commiſſariorum & viſitatorum habitâ ratione perſonarum & cauſarum puniatur, ſimulque expenſas reſtituat. *d.* §. Wiewol ferner Innhalt *verſ.* Und dann ſo einer oder mehr. & ſportulæ, niſi ante ad manus ſumtam à Commiſſariis actorum reviſionem partes tranſegerint, perdantur, etiam in caſu ubi reviſioni renunciare vellet. *Rec. noviſſ.* §. Damit dann auch.

(β) *Ord. Cam. d. tit. 53. §. 1. verſ.* Wo aber von der Zeit / ꝛc. Sæpiſſimè namq; evenire ſolet, ut inter ſententiam latam & primam Maji vix duorum aut unius menſis intercedat ſpatium, ideoque in ordinatione dicto loco cautum eſt, ut eo caſu reviſio anno ſequenti, eo omnino, quo jam diximus,

mus, modo, inſtitui debeat. Conf. Schvvanm. *in Proc. Cam. dict. loc.*

(γ) Per noviſſimum imper. Receſſum aliquid hîc immutatum videmus; ibi enim non ut antea duorum vel trium, ſed quatuor menſium conceſſum eſt ſpatium, & quidem ſtatim à die latæ ſententiæ numerandum. Si verò propter legitima impedimenta intra conſtitutum tempus reviſionem petere nequit, alium impetrabit terminum *ſecundum d. Rec.* §. in Fällen Conf. Brunnemanni *Proc. cap. 28. num. 120.*

Qv. hîc, an penes Moguntinum, vel altero caſu penes Electorem Trevirenſem ſtet, reviſionem interpoſitam recipere vel rejicere? Negamus cum Reinking. quia ordinatio Cameræ nullam de re notionem Monguntino tribuit, ſed hoc ſaltim diſponit, ut de reviſione interpoſitâ inſinuatâ, Imperatorem, Cameram, Statusque Imperii certiores reddat. *d. l. num. 8.*

Reviſione Moguntino ſic intimatá, neceſſe eſt, ut ea quoque Cameræ intra conſtitutum tempus notificetur, quod fit per literas denunciatoriales Moguntini ad Cameram datas, quæ à Procuratore ſpeciale ad id mandatum habente judicialiter in Camerâ producendæ cum oblatione ad præſtandum juramentum reviſorium, in formâ plerumque ſubſequenti: Auf den 13. Jüngſt abgewichenen Monats dieſes Jahrs eröffnete Urtheil N. contra N. erſcheinet im Nahmen N. (*qui reviſionem videlicet petiit*) Krafft ſpecial. Gewalts/den in originali cum copia übergeb/producire darauff dieſes Chur-Mayntziſche Denunciation-Schreiben an ein hochlöblich Collegium abgangen/cum gravaminibus, bitte beydes deſſelben und angeregten Gewalts auffgedruckter Secreten auch unterzogenen Hand recognitionem, und weilen daraus zuerſehen/

daß

daß die Sache in einen andern Stand gerathen/ſo bitte ich der reviſion zu deferiren/und mich ad juramentum reviſorium gnädig förderlich zuverſtatten. Roding. *L 3.T.61.pag. 919.* Jam diximus, quod intra conſtitutum tempus (quod hodie quadrimeſtre) procurator cum mandato reviſionem Cameræ inſinuare debeat, quod præciſè obſervari debet; ſecus ſi fit, reviſio rejicitur. Ita cùm in cauſa D. contra P. Appellationis, nunc Executorialium Dominus judex inferior per ſententiam Cameralem definitivam, in qua in ſubſidium principale ſolvendo non exiſtente condemnatus erat, ſe maximè gravatum arbitraretur, & intra quadrimeſtre quidem, ſed cum inſufficiente mandato reviſionem intimaret, eaque currente adhuc fatali rejecta, illam duabus juridicis poſt quadrimeſtre lapſis repeteret, per ſententiam 13. Mart. Anno 1657. als verſpätet rejecta fuit. Quod idem accidit in cauſſa N. contra F. appellationis nunc executor. Anno 1658. & in cauſa N. contra L. appellationis nunc executor. 14. Febr. Anno 1656. teſtante Roding. *cit. loc.p. 931.*

Notandum hîc (1) in Camera ſolere vel procuratores Cameræ juratos, vel procuratores extraneos ſcriptum denunciatorium exhibere. Verum conſultius eſt, per procuratorem extraneum notificationem fieri, quod & hodiè communiter obſervari teſtatur all. Rod. *d. l.* Procuratores enim Cameræ ob reſpectū quem debent huic judicio, in puncto reviſionis procuratores eſſe nequeunt, nec ad partis adverſæ contradictionem quicquā regerere audent, quod extraneis cum debitâ tamen moderatione conceſſum. *Notand. II.* Non licere procuratoribus Cameræ juratis reviſionem litigantibus ſuadere, aut eam ulla ratione promovere, ſecus ſi faciant, mulctantur. Sic in cauſſa H. H. contra J. B. 4. Jul. Anno 1639. in Camerâ teſte Roding.

cit. loc. pronunciatum fuit: Ferners iſt gegen Dr. N. N. wegen unzuläßiger production obangeregter Schriften/ vielen überflüßigen receſſiren / und daß er die höchſte Juſtitz mit approbation und Verthedigung der angekündigten reviſion wieder geleiſtete Eyd und Pflichten taxirt und angegriffen/die Straffe 2. Marklötiges Goldes in den Armen Seckel unnachläßig zubezahlen hiemit vorbehalten.

POSIT. III.

Is qui reviſionem petit, ſeu impetrare vult debet certã pecuniæ ſummam pro arbitrio viſitatorum,(α) qualitate perſonarũ(β) & gravitate cauſſæ deponere,(γ) qua ſi ſuccumbat puniatur, ſitque unde expẽſæ ſolvi poſſint:(δ) Sin autem prior ſententia retractata fuerit, pecunia depoſita victori reſtituitur.(ε)

RESOLUTIO.

(α) Duplici hac inſinuatione præmiſſa, requiritur ulterius, ut reviſionem petens certam pecuniæ ſummam deponat

ponat. Ex qua ratione hoc conſtitutū, facile quivis perſpicere poteſt; Imitati enim ſunt Imper. Juſtinianū, qui *in pr. J. d. pœn. tem. litig.* inquit: *Magnam curam egiſſe eos, qui jura ſuſtinebant, ne facile homines ad litigandum procederent: quod & nobis ſtudio eſt.* Probe intelligens optimus Imperator, nihil vel publicè vel privatim litium multitudine pernicioſius eſſe. Magnific. Dn. Ludvv. *in Comm. Inſt. ad pr. d. tit.* ideoque triplicem contra temerè litigantes pœnam conſtituit, uti videre eſt *t. t. J. d. pœn. tem. litig.* Hinc etjam uſucapionum jura prodierunt, *pr. J. d. uſuc. l. 1. ff. d. uſucap.* Vid. Magnif. Dn. Struve Præceptor ac Patronus devotè colendus. *Exerc. XLIII. Th. 2.* Hinc certi inſtantiarum termini præfixi *l. 13. C. d. Judic.* Hinc lites legitimis tranſactionibus ſopitæ rei judicatæ comparantur. *l. 2. l. 31. ff. de jurejur. l. 20. C. d. Tranſ.* Vid. Magnif. Dn. Richter *Tr. d. Transact. ad l. 10. num. 15.* Nobiliſs. Dn. Struve *Exerc. 6. th. 63.* Eodem plane modo Imperator & Status Imperii protervæ illorum audaciæ, qui turbandi & rixandi magis ſtudio, aut potius deludendi ſummum hoc Imperii judicium, quàm aliqua legitima ac juſta gravamina proferendi, ad ſaluberrimum hoc reviſionis remedium confugere videntur, occurrendum, leviſſimamque eorum temeritatem compeſcendam exiſtimarunt. Prudenter itaque, quo omnes præcidantur calumniarum palmites, ab ipſis conſtitutum eſt, ut ii, qui acta revideri, ſententiasque in melius reformari peterent, certam pecuniæ ſummam, dum reviſionis inchoatur negotium, pro arbitrio viſitatorum deponerent, quod diſcretum, & ratione moderatum eſſe debet, non verò ex opinione propriâ, multo minus ex favore vel odio partium deſcendens. Mynſ. *cent. 6. obſ. 97.*

(β) Quod in opulentos & divites major & gravior, in pauperes verò & viles levior & mitior ſtatuenda ſit pœna

pecuniaria, apparet ex *l.13.§.8.C.d.judic.* & ſatis clarè *ex l.f.C. d.mod.mulct.l.6.in f.ff.d.off.præſ.* Quia quod unusquisque facili negotio facere poſſit, hic obſervari debet, & quilibet punitur in eo, quod ſibi minus eſt. Hi vero qui opum affluentia & divitiarum copia non gaudent, quoniam iis ſæpius minus eſt pati pœnam corporalem, quam pecuniam ſolvere, ideo mitius cum iis eſt agendum, quàm cum divitibus, ubi tractatur de pœnâ pecuniariâ infligendâ. Add. Excellentiſs. Dn. D. Beyeri, Patroni & Præceptoris mei devenerandi *Diſput.inaugur. d. Proſopolepſ circ. inflig. pœnas. Adj.IV. num.13. & 14.* Tiraquell. *in Tr.d.pœn. cauſ 31.* Idem etiam innuere volunt Imper. & Status Imper. *d.*§. und damit *Ord.Cam.* ne divites ex contemptu pœnæ pecuniariæ, ipſorum facultatum reſpectû fortè exiguæ eò facilius abutantur hoc remedio, occurrit eorum calumniis, ipſosque non minus quàm pauperes metu pœnæ à temerariâ lite repellit, dum certam pecuniæ ſummam ab ipſis deponi ſtatuit. Circa hujus pecuniæ depoſitionem non immeritò quæritur; An ſi idoneè cavere malit, ad cautionem admittendus ſit? Quod affirmamus cū Gail. *obſ.154.n.1.* & aliis *ex all* §. Und damit. *verb.* Und damit gnugſamlich verbürgen. An vero ordinatio Cam. per Rec. noviſs. Anno 1654 §. Damit dann auch &c. qui depoſitionis ſimpliciter meminit, ſit correcta, valde dubitatur. Quid vero de pauperibus, qui neque certam pecuniæ ſummam deponere, neque fidejuſſores invenire aut pignora dare poſſunt? Durum eſſet pauperes ob paupertatem ab hoc beneficio excludi Gail. *obſ.155. num. 4.* Ideoque ſi paupertate quis ea prematur, ut pecuniam deponere haud valeat, nec fidejuſſores reperire queat ad juratoriam cautionem admittetur. Hering. *d. Fidejuſſ cap.18.num.100.* quia cautio juratoria locum habet, quoties quis fidejuſſorem reperire ac dare

nequit

nequit *l.1.§.2.C.d.adſert.toll. Auth.generaliter.C.d. SS. Eccleſ.§.* *§.2.J.d.ſatisd-* Et ſanè in humanum eſſet rerum inopiâ oppresſis, denegatâ reviſione, novam adjungere calamitatem contra *l.6.ff.d.jure dot.l.14. ff.d.off. præſ. l. 4.§. 2. ff.ad L. Rhod.d. jact.Syrac.4.v.2.* Petr.Roytz *deciſ.Lithuan.4 num.291.* Cùm juſtitia tam pauperi quam diviti æqualiter ſit adminiſtranda. Gail.*d.obſ. 155. num. 4.*

(γ) Cauſſæ gravitas obſervatur; quia quo cauſſa gravior & difficilior, eò majores labores in eâ expediendâ ſuſtinent Reviſores, indeque etiam ſumtus fieri grandiores neceſſe eſt: imò præſumitur, quod quo magis commodum quis ſperet ex cauſſa, eò facilius legum præcepta transgrediatur, & temerè ad reviſionis recurrat remedium. *Obiter hic notandum (1.)* Quod non de quavis cauſsa detur reviſio, ſed requiratur (1) ut ſit appellabilis; In welchen Sachen die Appellationes vermög gemeiner Rechten zuláßlich; quæ verò per modum ſimplicis querelæ in Camera introducta eſt, non eſt reviſibilis. *Rec noviſ.* §. zu Abkürtzung. 2. Ut cauſſæ ſumma 2000. Imperialium ſortem adæquet, penſionibus & intereſſe non computatis, die Sachen die ad 2000. Rthl. Capital ohne einnehmung der Zinß und Intereſſe ſich betragen. *d. Rec. nov.* §. zu Abkürtzung Vid. Dn. Brunnemann. *d. Proc. c. 28. num. 119. Notand. II.* Quod ſemper cauſæ majoris momenti, vel in quibus periculum armorum eſt, ante reliquas expediri debeant. §. Wenigers nicht.

(δ) Si ſententia Cameræ juſta, & temerè reviſio eſt petita, pecunia amittitur, eaque fiſco, cùm pro temeritatis pœna, tùm pro expenſis circa reviſionem faciendis, applicatur, *juxta text.* §. Und darmit. *&* §. Im Fall. *tit.53. p.3. O. C.* Imò *juxta Receſſ. noviſſ.* ſi magna temeritas vel prurigo adſit litigandi, ultra ſportulas pars unà cum Advo-

cato mulctá pecuniariâ adficiatur. §. Damit auch. *d. Receß.* Pauperes verò ſi ſuccumbant,litemque perdant,æris inopia corporis afflictione vindicanda, *l. ult. ff. de in jus voc.* Unde verſiculi :

- - - - Cujus fortuna laborans
Non potis eſt auro pœnales ſolvere noxas,
Arctatur vinclis, gravioraque verbera paſſus
Sedibus à patriis removetur. - - - -

Et hi pœna carceris des weiſſen Thurms plecti ſolent, ut teſtatur Ruland. *de Commiß. p. 1. L. 2. c. 21. ſub num. 12.*

(t) Quia quod lege permittente fit, pœnam non meretur, *l. 4. C. ad L. Jul. de adult.* Cùm itaque nullius temeritatis is argui queat,qui vicerit, jure meritoque ipſi pecunia reſtituitur, §. Darauf ſollen. *d. t. 53. Q. hic*,quis expenſas,pecuniâ victori reſtitutá,refundere tenetur, & an victus ? Neg. quia præſumitur propter ſummi hujus judicii ſententiam juſtam litigandi cauſam habuiſſe , quæ ipſum à temeritate & conſequenter ab expenſis excuſat. Quis igitur refundet ? Æquius erit ut expenſæ illæ compenſentur, quod tamen omne arbitrio & diſcretioni reviſorum, juſtane verè fuerit litigandi cauſa , nec ne , relinquendum exiſtimamus, ducti arg. Gailii *Obſerv. 152. n. 5.*

POSIT. IV.

Porrò reviſio hæc peti poteſt non tantùm quando ſententia definitiva (a) ſed etiam quando interlocutoria, vim tamen defi-

nitivæ

nitivæ habens, aut tale grava-
men continens, quod per definitivam reparari nequit, lata eſt: (β) modò petens cauſſas gravaminis alleget. (γ)

RESOLUTIO.

(α) Satis notum eſt, quod ſententiâ latâ locum habeat appellatio, & quæ ei ſucceſſerunt ſupplicatio & reviſio, cæteráve cognata appellationi remedia. Finis namque proceſſus primæ inſtantiæ eſt ſententia. Dn. Brunnem. *d. proc. cap. 27. num. 1.* Duplex verò datur ſententia, interlocutoria & definitiva; quod ab hac prædicta offerantur remedia non eſt, qui controvertat; hac enim latâ, ſive benè ſive malè judex functus ſit ſuo officio, non habet poteſtatem amplius judicandi aut mutandi ſuam voluntatem. *l. 55. ff. de re jud.* tuncque omninò aliis remediis úti licet, & ſic etiam reviſione. An verò ab interlocutoriâ, ſine diſtinctione non eſt ſtatuendum, ut mox dicemus.

(β) Diſpeſcimus igitur cum Gailio ſententiam interlocutoriam in ſimplicem & eam, quæ vim ſententiæ definitivæ obtinet. Priorem non eſſe appellabilem, adeóq; nec reviſibilem, niſi tale gravamen contineat, quód per definitivam reparari nequeat. Poſteriorem verò eſſe reviſibilem, cùm per omnia definitivæ quoad juris effectum comparetur. *gl. in c. fin. in verb. inane. de elect. lib. 6.* Phil. Franc. *in c. non ſolum. num. 3. de Appell. lib. 6.* Zaſius *in l. quod juſſit. n. 28. ff. de re jud.* Paria enim ſunt, ſententiam eſſe
defi

definitivam, vel habere vim definitivæ. Bald. *in l. minoribus. n. 8. C. de his quibus ut indign.* Conf. Reinking. *d. Reg. ſec. & eccl. L. 2. cl. 2. cap. 15. n. 3.*

(γ) Ratio eſt, quia reviſio jure communi non nititur, ſed extra ordinem conceditur, gratiamve concernit & meram benignitatem. Ergò omninò cauſæ gravaminis ſunt exprimendæ, ne temerè ad hanc gratiam & meram benignitatem recurrere videamus. An autem ſub conditione, *niſi ita pronuncietur*, Reviſionem petere & Cameræ intimare liceat, in certâ facti ſpecie inter Dn. Joh. Georgiũ & Ottonem Comites Solmenſes ab unâ, & Communitatem zu Freyenſee ab alterâ parte ventilata, aliquando quæſitum eſt; Comites enim petebant declarationem ſententiæ, & niſi ita declaretur, in eum eventum Cameræ reviſionem denunciari fecerant; Reviſores etiam manum actis admoturi videbantur. Sed Camera wider ſolch vermeintlich begehrte reviſion exceptiones coram reviſoribus oppoſuit, aſſerens hanc reviſionis petitionem eventualem Ordinationi eſſe contrariam & expectandam eſſe collegii ſententiam in puncto petitæ declarationis. Quare Reviſores Anno 1583. d. 28. Maji pronunciarunt, daß die begehrte reviſion beſchehenem Anſuchen und darauf erfolgten Außſchreiben nach nicht anzunehmen / ſondern die Kläger in die Unkoſten deswegen aufgelauffen / ſo hiemit auf 400. fl. gemäſſiget / zuverdammen ſeyn. Roding. *cit. loc. p. 928. & 929.*

POSIT. V.

Reviſione ſic inſtitutâ provocanti cauſſas gravaminis ſui, non

niſi

niſi unico ſcripto, ut & provocato, copiâ tamen prius communicatâ, ea quæ ſibi neceſſaria exiſtimaverit, proponere licet, (α) Ita ut neuter aliquid novi, uti in appellatione fieri ſolet, deducere, ſed tantùm ex prioribus actis gravaminum cauſas deſumere debeat. (β)

RESOLUTIO.

(α) *Ord. Cam. d. tit. 53. p. 3.* §. Erſtlich Gail. *L. 1. obſ. 154. num. 1.* Schvvanm. *Proc. d. L. 1. c. 75. num. 6.* Petr. Denais *in Jur. Cam. c. 271.* Hujus ſapientiſſimæ conſtitutionis ratio prima eſt, ne ſententia in ſupremo Imperii judicio lata ob petitam reviſionem diu maneat in ſuſpenſo, ac Domini Aſſeſſores diuturno retractandæ ſententiæ metu percellantur, & ſic cauſæ quàm celerrimè debito fine terminentur: Reip. namq; intereſt finem litibus imponi, *l. 10. C. d. tranſact.* litesq; immortales non fieri *l. 13. C. d. judic.* altera ratio eſt, quod in reviſione nihil novi deduci queat, ſed ea ex prioribus ſaltim actis juſtificari debeat. *d.* §. Erſtlich. uti mox dicemus. Quid opus igitur, pluribus ſcriptis litigantes denuò diſceptare, ac ea, quæ jam hinc inde diu multumque ad nauſeam usq; in judicium ſunt deducta, magno cum reviſorum tœdio

D ac

ac moleſtia, nec non irreparabili temporis & ſumtuum jactura repetere? Quod enim juxta vulgatum, poteſt fieri per pauca, non debet fieri per plura. Porrò non ſolum provocanti, ſed & provocato unico ſcripto uti licet propter æqualitatem in judiciis ſervandam. *l. fin. C. d. fruct. & lit. expenſ.* ita tamen ut copia gravaminum prius provocato communicetur, ſecund. Gail. *d. l. num. 1.* cùm quod ejus interſit, quo gravaminibus propoſitis reſpondere poſſit, tùm quod illa gravamina judici exhibita ſint pars actorum, & proinde utrique parti communia. Acta enim omnia, ſive cauſſæ civilis ſive criminalis, edi debent, non ſolum litigantibus petentibus, ſed etiam indiſtinctè unicuique cujus inter eſt. *l. 2. C. d. edend.* Add. Nobiliſsimus atque Conſultiſſimus Dn. Præſes, Patronus ac Præceptor meus omni honoris & obſervantiæ cultu ad urnam uſque devenerandus, *in Reſolut. difficil. LL. Cod. ad all. leg.* Marant. *d. act. edit. n. 53.* Facit quoque ratio à Marant. in modò alleg. tit. adducta, quod ideo ſc. actorum editio fieri debeat, quia ſit ſpecies defenſionis, cùm ad eum effectum fiat, ut petens poſſit ſecū perpendere, an ceſſio illi ſit utilis, an contentio. *l. 1. pr. ff. d. edendo* Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 5. Th. 42.* quæ ſane ratio optimè noſtro caſui applicari poteſt. Nam ex gravaminibus deductis, cùm nihil novi in mediū proferre queat, provocatus juſtane ſint gravamina illa, an injuſta, æqua ne ſit ſententia vel iniqua, quidque reſpondere debeat, & an ulterius contendendum ſit, nec ne, facilè intelligere poterit.

(β) Inſignis hic intercedit differentia inter appellationem & reviſionem: In illâ enim & quidem à definitivâ ſententiâ novæ poſſunt fieri aſſertiones, non probata poſſunt probari, & non deducta deduci. *l. 4. C. de temp. appellat.* & in judicio priori omiſſa, apud eum, qui de appellatione cognoſcit, proſequi licet. *l. 6. §. 1. C. de appellat.* Gail. *l. 1. obſ. 130. num. 3.* In hac verò tàm interlocutoriæ,

quàm

quàm definitivæ nihil novi proponi, ſed ex prioribus & antiquis ſaltem actis juſtificari poteſt, per textum ſole meridiano clariorem *in tit.53.* §. Erſtlich. *verb.* In ſolchen beyden Schrifften nichts neues / ſondern allein die Irrſal und Ablehnung derſelben fürbringen. *&* §. Und ſollen der Keyſ. May. Gail. *Obſ.154.num.7.* Schvvanm. *P.C.c.75.num 6.* Ratio eſt, quia acta ſolùm revideri jubentur: revidere verò eſt ex iisdem actis judicare; aliàs enim ſi addere liceret, non eſſet reviſio, ſed potius additio & novatio actorum, ſuper qua judices non eſſent auditi, neq; ſuper iis quicquam judicatum, & proinde erroris argui non poſſent, cùm non entis nullæ ſint qualitates. Gail. *d. Obſ.154. num. 2. & in Tr. de Arreſt. Obſ.15. num.5.* Sibi igitur imputet, qui reviſionem petit, quod ea, quæ ſuæ cauſſæ inſervire videbantur, in Camerâ non propoſuerit, cùm in tot. tit. 53. nullibi videre liceat, etiã contra propriam negligentiam parti ſuccurri, ſed potius contrarium expreſsè deciſum ſit in d. §. Erſtlich. Add. Bend. *c.16.num.15.*

POSIT. VI.

Reviſio hæc locum habet in judicio L. diffamari:(α) Vt & in cauſâ fractæ pacis,(β) & judicio poſſeſſorio.(γ)

RESOLUTIO.

(α) Quicquid enim obtinet in appellatione, etiã in ſupplicatione & reviſione, extra differentias jure ſcriptas, locum ſibi vendicat. Jam autem appellatio in judicio L. diffamari obtinet, & diffamator ab impoſitione perpetui

 ſilen-

ſilentii,vel à declaratione & pronunciatione de non amplius audiendo,vel alio gravamine appellare poteſt,modo id ſiat congruo & in jure determinato tempore, & priusquam ſententia vires rei judicatæ conſequatur. Igitur etiam reviſio locum habebit, cùm ea in cauſſis diffamationum non ſit expreſsè prohibita, & ſic merito dispoſitioni juris communis relinquatur. *Dd. comm.* Magnif. Dn. Richter *Deciſ. 100. num. 124. & 125.* Gail. *Obſ. 132. L. 1.* ubi ex profeſſo hanc quæſtionem pluribus tractat, ad cujus obſervata me brevitatis cauſa remitto.

(β) Propter generalitatem textus *d. t. 53. p. 3. O. C.* etiam in cauſsâ fractæ pacis reviſionem locum habere ſtatuimus: Generaliter enim & indiſtinctè omnibus in Camerâ læſis hoc reviſionis conceditur beneficium. Durum itaque eſſet, à tam generali diſpoſitione hunc fractæ pacis caſum excludere. Et licet ex omnibus cauſſis criminalibus ſola hæc fractæ pacis cauſa ad Cameram ſpectet, uti *ex pac. publ. conſtit. tit. 11.* nec non *ex Ord. tit. 9. part. 2.* conſtat; adeòque propter defectum judicis ſuperioris & Cameræ excellentiam, non permittatur appellatio: Tamen quoniam violator pacis publicæ, non ſolùm pœnâ banni, ſed etiam aliis juris communis pœnis conjunctim vel diviſim pro arbitrio offenſi, ita diſponente *Conſtit. pac. publ. tit. 11.* conveniri poteſt, etiam coram inferiore judice agere poteſt, uti ſentit quoque Gail. *L. 1. de P. P. cap. 1. num. 1. & ſeq.*

(γ) Duplex, ut notum, eſt poſſeſſorium retinendæ, unum ordinarium ſeu plenarium, alterum ſummarium ſive extraordinarium. In ſummario, quod non recipiatur appellatio, nec ſuſpendatur executio, communis Dd. eſt opinio propter *l. un. C. ſi de mom. poſſ. fuer. appell.* Add. Nobiliſs. Dn. Præſes *ad d. l. un.* Gail. *L. 1. obſ. 7. n. 7.* Secus vero eſt in plenario, ubi omnino appellatio locum habet, hodieq;

in practicâ communiter obſervari,& eam in Camera recipi, executionesve ſuſpendi teſtatur Gail. *L.1.obſ.147.num.9.* Idem etiam dicendum erit de reviſione, juxta vulgatam regulam; quod extra differentias jure ſcriptas ab appellatione ad ſupplicationem & conſequenter quoque ad reviſionem omnino argumentari liceat, *arg.l.fin.§.penult.C. de temp.appell.* Nullibi enim hanc differentiam ſcriptam reperire licet.

POSIT. VII.

Reviſores autem medio juramento[(α)] ſummâ cum diligentiâ acta revidebunt ac ponderabunt.[(β)] Nullitas tamen proceſsûs in Camera commiſſa, ſi de meritis cauſſæ principalis conſtet, ab ipſis attendenda non videtur.[γ)]

RESOLVTIO.

(α) Quod reviſores ſolenne juramentum juxta præſcriptum *Ordin. d. tit.53.* §. Und ſollen der Käyſ. Majäſt. præſtare teneantur, ex conſtitutione Juſtiniani Imperatoris auguſtiſſimi eſt deſumtũ, qui *l.14.pr.C. d.Judic.* rem nõ novã neq; inſolitã, ſed antiquis Legumlatoribus placitã aggrediẽdo cõſtituit, ut omnes omninò judices, Romani juris diſceptatores, non aliter litis primordium acciperent, niſi prius ſacramento ritè præſtito. Idem etiam

 obſer,

obſervant noſtri reviſores unà cum judice Cameræ & Aſſeſſoribus: Hi quidem vinculo & religione jurisjurandi, quod in Camerâ judices conſtituti aliquando jurarunt, ad eandem diligentiam atque fidem adſtricti cauſſas atque fundamenta ſententiæ abs, ſe latæ proferunt: Illi autem antequam judicent, ſolenne juramentum præſtare tenentur, non ſe antea in cauſa conſuluiſſe, judices priores in honore atque pretio habere, diligentiam in revidendo, fidem in judicando, jusque & juſtitiam adhibituros & munera non capturos. *Ordin Camer. d. l.* Quamdiu verò non jurati manent, non reputantur pro judicibus. Gylmann. *præjud. Camer. verb. Reviſio. verſ. reviſores.* Reinking. *d. reg. & Eccleſ. L. 2. Cl. 2. 15. num. 22.* Limn. *d. Jur. publ. L. 9. c. 2. n. 220.*

(β) Præſtito juramento reviſores unâ cum Præſide & judicibus prioribus ad acta revidenda admittuntur. *d. tit.* 53. §. Darauf. Hi quidem cauſſas & fundamenta rei ab ſe judicatæ demonſtrare debent; Illi verò ſummâ cum diligentiâ ponderant, ſententia juſténe lata ſit, an injuſtè, retractanda ne ſit an confirmanda; item an imperitiâ, an negligentiâ, an dolo ſententiam promulgarint, an vero ipſis nihil horum imputari queat. *dict. loc.*

(γ) Difficilis admodum & Gordiano nodo intricatior hæc eſt controverſia, ſi de jure communi, ubi negativa verior eſt, illam decidamus, uti videre eſt apud Vantium *Tr. d. Nullitat.* Quoniam verò ex ordinationis præſcripto patet ſole clarius, quod non ſolum iniqua, ſed & nulla poſſit revideri ſententia, *ut ex tit. 53. in pr. &* §. Darauf, *&* §. Ob ſolche Nichtigkeit *&* §. *fin.*, apparet, affirmativam contra jus commune veriorem eſſe putamus. Imperator enim ac Status Imperii Reviſoribus juris civilis ſolennitates ordinemque judiciarium remittere voluit, eò, quod ad leges haſce poſitivas non ſint adſtricti, nec ad ullum judicii ordinem ſervandum, & ipſi ſint, qui proceſſum præſcri-

ſcribant, ac leges, ex quarum transgreſſu nullitas provenit, condant. *l 31. ff. d. LL. l. 4. C. eod. l. 23. ff. d. Leg. III. §. J. 8. quib. mod. teſt. infirm. §. 6. J. d. J. N. G. & C.*

POSIT. VIII.

Actis hoc modo diligenter reviſis, necnon rationibus, quibus aſſeſsores moti talem ſententiã tulêre, exquiſitisſimè examinatis ſententiam priorem vel cõfirmabũt Reviſores (α) vel reformabunt. (β)

RESOLUTIO.

(α) Non idem Aſſeſſorum, quod commiſſariorum circa reviſionem officium eſſe, ex *antecced. Poſit.* liquet. Illi enim cauſſas & fundamenta rei ab ſe judicatæ demonſtrant, acta cum his diligenter revident & perpendunt: Hi vero ſolis momentis cauſæ ponderatis ſententiam priorem, ſi juſtam & legitimam eſſe compererint, confirmant, uti ex *Ord. Cam. d. tit.* §. Darauff ſollen. liquet, quæ ſententia poſt hæc ita pronunciari ſolet: Nach Verleſung und reiffer Erwegung der vorhergehenden übergebenen gravaminum und dargegen eingewendter exceptionum, auch daher in Camerâ hinc inde producirter Schrifften haben die verordnete Herrn Keyſerliche Commiſſarien und Reviſores, die, da bevor am Keyſerl. Kammer-

Gericht

Gericht publicirte Urtheil/davon die reviſion geſucht worden, confirmiret und beſtetiget; ita in cauſa V. contra W. pronunciatum teſtatur Meichſn. *T.3.Deciſ.16.in f.fol.669.*ubi in illa deciſione proponit gravamina & exceptiones in judicio reviſorio Reink. *d. Reg.ſec. & Eccl. L.2.cl.2.c.15.*

(γ) Si verò ex erroneis, injuſtis & frivolis cauſſis ſententia lata appareat,eā retractabunt & reformabunt Reviſores. *d.* §. Darauf. Si a. partim malè partim benè ſentētia ſit concepta,eandem etiā reformabunt, *per mod.alleg.text.* Nam licet ſententia individua ſit,ita ut pro parte valere, pro parte non valere nequeat. *l. 27.ff.fam.Erciſc.*hoc tamē fallere exiſtimant Interpretes,ſi ſententia plura ac diverſa contineat capitula,quo caſu partim confirmari,partim reformari poteſt. Add. Gail. *L. 1. Obſ. 110.* cum multis aliis ab ipſo allegatis. Quæritur hic,ſi Reviſores paribus votis diſcrepaverint, utra ſententia prævalebit,confirmatoriane,an retractatoria? Prius aſſerimus & prævalere confirmatoriam cum Bender. dicimus. Si enim in appellationis caſu, ubi cauſa novis etiam probationibus inſtrui & non probata probari, non allegata allegari poſſunt, pro ſententia prioris judicis propter ſummam judicis authoritatem non ſolùm quoad proceſſum, ſed etiam quoad juſtitiam,donec aliquid legitimè contra ipſam comprobetur,præſumitur. Gail. *L.1. Obſ.144.num.7.* quanto magis in reviſione,quæ ex prioribus ſolum actis,non ex novis juſtificari omninò debet. §. Erſtlich. *d. tit.53.* pro ſententia ejusmodi illuſtrium, nobilium, peritiſſimorum & celeberrimorum judicum,qui ſummum in Romano Imperio judicium repræſentant, & verè aſylum juſtitiæ dicuntur,quos ne Imperator quidem pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ aliter judicaturos credidit, quàm ipſe foret judicaturus, usque dùm liquidò de ejusmodi ſententiæ iniquitate vel juſtitiâ appareat,præſumendum erit, *all. Bend. cap. 19.*

POSIT.

POSIT. IX.

Reviſio verò Actorum exceptionem non ſuſpendit.(α) Nec Reviſores(β) imò nec Imperator eã in hibere poterunt.(γ)

RESOLUTIO.

(α) Hæc quæſtio, an reviſio executionem de jure Ordinationis Cameralis ſuſpendat, olim in utramque partem diſputata fuit. Reviſionem de jure ordinationis ſuſpendere executionem, inter alios defendunt Frid. Mindan. *L. 2. d. Proceſſ. cap. 28. num. 2.* & Gail. *L. 1. obſ. 154. num.* Andr. Knich. *in Tr. d. Privil. Saxon. d. non appell.* & Petr. Heigius. *L. 1. qv. 10. num. 65.* Contra hos inſurgit Joh. Ludov. Bender. Imperialis Cameræ Adſeſſor longè meritiſſimus *in Tr. ſuo ſæp. all. d. Reviſione c. 20. per tot.* adſerens, oblatâ idoneâ cautione, aut in defectum juratoriâ præſtitâ, executionem admitti. Conſentit cum eo Thom. Merkelbach *Tom. 2. Conſil.* Klock. *conſ. 100. per tot.* ubi Gailium foro inſerviiſſe, & reviſoris munus obeuntem, in favorem Ducis Bavariæ, quo ſententia Cameræ pro Ortenburg lata retractaretur, contrarium adſeruiſſe, & præjudicium in cauſa Brandenburg contra Borcken in obſervationibus ſuis erroneè, & quidem cùm in eo reviſione non obſtante Camera 30. Octobris Anno 1562. ad executoriales proceſſerit, impingendo in rei veritatem contra ſeipſum citaſſe; Andr. Knichen ob repulſam, quam in præſentatione ad adſeſſoratũ tulit ductu invidiæ; & Heigium quia Anno 1600, nomine Electoris Saxoniæ Reviſor deſignatus talia ſcripſiſſe tue-

tur. In eadem ſententia perſtitit Schvvanmann. *d. Proc. Lib.1.c.75.* adducens præjudicium, ubi ſupplicans apud Cæſ. Maj. pro inhibitione ad Cameram repulſam tulit, eò quod hoc dubium futuris Deputatis enodandum jam ante commiſſum fuerat. Deputati hi per ſubſecutum Receſſum Deputationis de Anno 1600. §. Als auch Streit. Huic diſſidio medelam quodantenus adhibuiſſe videntur, quando ſtatuunt, reviſione pendente executionem ſuſpendi, paucis quibusdam cauſis exceptis; Remanſerunt tamen adhuc dubia quædam, quæ poſtea per generale SCtum, cujus tenorem vide apud Denais edit. noviſs. ſunt ſublata. Demum in Receſſu noviſſimo de Anno 1654. effectus ſuſpenſivus in reviſionibus futuris in totum ſublatus eſt, modò pars victrix ſufficientem præſtet cautionem de reſtituendo judicatum, ubi in Reviſorio ſuccubuerit, exceptis cauſis Religionem & ſpiritualia concernentibus: Sic levitas proſiliendi ad Reviſoriū quodantenus coarctata, judicii authoritas ſalvata, juſtitia ob reviſionum in Imperio ultra ſemiſecularem neglectum in Reviſorio tabeſcens & quaſi extorris ſuis ſedibus reſtituta, & tamen pars ſuccumbens cautione mediante, de recipiendo rem abjudicatam caſu, quo ſecura reddita eſt, conſilio ſanè ſalutari & tempori accommodato. Conf. Roding. *L 3. Tit. 61.* ubi pag. 912. ponit Edictum Cæſareæ Majeſtatis per omnem terram Imperii promulgatum circa reviſiones de dato Regenſpurg 31. Dec. Anno 1653. in quo compendiosè cognoſcitur, quæ circa reviſionis materiā in Rec. noviſſ. à §. nach Berathſchlagung usque ad §. daß Anno 1613. &c. diſpoſita ſunt. Qui plura deſiderat de hac quæſtione, adeat Bender. *d. l.* Thom. Merckelbach. & Klock. *cit. loc.* Roding. *all. loc.* Reink. *d. reg. ſec. & eccl. L. 2. cl. 2. cap. 15. num. 26.* Gylmann. *Deciſ. ad voc. Reviſio*, & alios, qui latiſſimè eam

tra-

tractant. Nos brevitati ſtudentes officio noſtro ſatisfeciſſe putamus, ſi, quid hodie obtineat, adduxerimus.

(β) De reviſoribus, quin eam inhibere queant, dubitari minimè poteſt, eò quod ipſi determinatam ac limitatam ab ipſa Ordinatione Jurisdictionem habeant. Sola namque actorum reviſio, non etiam ſententiæ latæ executio ipſis conceſſa reperitur, *per d. tit. 53.* quod & ipſum reviſoris vocabulum ſatis ſuperque innuit. Quinimò ipſum quoque Imperatorem, Statusque Imperii executionem ſententiæ etiam ab ipſismet Reviſoribus promulgatæ (quanto minus non à Reviſoribus, ſed à Camerâ dictæ) non Reviſoribus competere, ſed eandem Cameræ perpetuò reſervare voluiſſe ex ipsâ ordinatione diſertè conſtat. *d. tit. 53.* §. Darauff. *& in* §. Im Fall. *cum* §. *ſeq.* Quod igitur executionem ſententiæ inhibere nequeant Reviſores, ex his clarè apparet. An verò viſitatoribus, qui non ſolùm acta revidere, ſed etiam omnis generis defectus aut vitia, ſi quæ in Cameram irrepſerunt corrigere & in melius reformare poſſunt, *juxt. tit. 50.* §. Und wo etliche. *p. 1.* hoc ſit conceſſum, magis dubium eſt, qua de quæſtione videri poteſt Bender. *c. 21. per tot.*

(γ) Controverſa adhuc illa eſt quæſtio, an Imperator per reſcriptum executionem impediat? Quod negamus cum all. Bend. Nemini enim Imperator jus ſuum per ſententiam latam ſibi quæſitum aufferre poteſt, quod contra jus naturale eſſet. Conf. Nobiliſs. Dn. Struv. *Exerc. 2. th. 9.* Ad hæc reſiſtit ei Ordinatio Imperii *part. 2. tit 35.* Daß dem Cammergericht ſein ſtarcker Lauff gelaſſen werden ſoll / hoc eſt, quod exercitium jurisdictionis Cameræ impediri non debeat. Imperator enim juxta Gail. *Lib. 1. Obſ. 41. num. 3.* per modum contractus in Ordinationem Cameræ conſenſit, & ſe obligavit, nihil ſeſe huic ordi-

nationi, quæ in caſibus non expreſſis jus commune locum habere vult, *tit. fin. in pr. p. 3.* contrarium aut adverſum conceſſurum vel admiſſurum; imo ſi quid fortè impetratum fuerit aut obtentum, id nullius prorſus momenti eſſe, & à judicio Cameræ nullo modo recipi debere, expreſsè conſtituit idem Imper. communi ſtatuum conſenſu *in d. tit. 35. in fin. p. 2.* Vide ſis Bender. *d. tract. cap. 22.*

POSIT. X. ET ULT.

Is qui ſemel Reviſionem petit, ſi ſuccumbat & prior ſententia confirmetur, denuò ad Reviſionem non admittetur.

RESOLUTIO.

Quia uti ſemel tantùm ſupplicare licet, *l. ſi quis. 5. C. de prec. Imp. offer.* ita ſemel quoque reviſio tantum eſt licita, & hoc per Ordinationem Cameræ *p. 3. tit. 53.* indubitatum eſt, litium enim tandem finis eſſe debet. Verùm ſi quis in Camerâ victor extitit, in reviſione ſuccumbat, an ſaltem ab eo reviſio reviſionis peti poſſit, magis dubium & nodo Gordiano eſt intricatius: Si verò æquitas, & in judiciis ſervanda æqualitas ſpectetur, adfirmativa verior; quod enim quis in propriâ perſonâ æqvum judicavit, hoc ipſum in alterius perſonâ iniqvum dicere incivile eſt. *t. t. ff. quod quisq; juris &c.* & quod actori licet, id non debet non licere etiam reo & vice versâ. Nec minus Reviſores ſententiam benè latam in pejus reformare,

mare,ac Adſeſſores in eâ ferendâ quandóque quid humani pati poſſunt,ut in hoc legum & Ordinationis adminicula æquè ſuccumbenti in Reviſorio ac ſuccumbenti in Camerâ concedi debeant, Ordinatione præſertim nullibi reclamante Bender. *cap.37. num.15. & num.31.ſeqq.* An autem à denegata reviſione denuò reviſio peti queat,etiam quæritur? Multi hoc adfirmant,cùm hoc non ſit bis reviſionem petere vel concedere,ſed denegatam ſaltem reviſionem iterum præhabitâ meliori informatione & cognitione negotii admittere: Ita in terminis, Alvar. Valaſ. *Conſult.5.num.27.tom.1.*& Boër.*deciſ.140.&* 141. ſcilicet: in Camera frequens eſſe denegatam ſeu refutatam primâ vice reviſionem, eam ſecundâ & tertiâ vice rurſum denunciare; ſi tamen prima in formalibus defecerit,& per hoc ut deſerta refutata ſit, nec ſecunda admittetur,quia vitium primæ transfunditur etiam in ſecundam. Finem nunc etiam imponere huic ſcriptioni cogor, poſtquam pro imbecillitate ingenii tenui filo contexui,quæ ad nobiliſſimæ hujus materiæ explicationem utilia neceſſariaque viſa ſunt. Sit igitur DEO TER OPT. MAX. ſine cujus ope & auxilio quæcunq; ſunt vel ſuſcipiuntur, vana ſunt, HONOR ET GLORIA IN ÆTERNUM.

CORONIDIS LOCO.

I.

PAter non ſolùm inſtitutis, ſed & exhæredatis liberis tutores dare poteſt; non verò Mater.

II. Electoris ſecularis relicti filii primogeniti adhuc impuberi aut minorennis tutor ex lege publicâ eſt proximus agnatus, cui jus illud nec teſtamento paterno auſſerri poteſt.

III. Is qui tutor vel curator dandus, jurisdictioni dantis ſubjectus eſſe debet.

IV. Omnes tutores pupillo in ſolidum ſunt obligati.

V. Tutor præſtat dolum, latam & levem culpam, non etiam leviſſimam: Hæres vero ejus tenetur ſaltem de latâ culpâ.

INgenii dotes prodis doctiſſime VVALTHER,
Gratulor, & meritò nunc Tibi fauſta precor!

Hæc
in honorem Pereximii atque litteratiſſimi Dni. Reſpondentis J.V.C. ſtrenui & benevoli affectus erga illum teſt. g. adponeb.

PRÆSES.

JOVA, JUVA!

AD

PRÆ-EXIMIUM AC PRÆSTANTISSIMUM DOMINUM

CASPARUM ANTHONIUM VVALTHER, Vratislavienſem

Fautorem atque Commilitonem ſuum ſingulariter dilectum.

ACtorum quid ſit ſincera REVISIO, amicô
Auſpicio Themidos præſidioq́ꝫ, doces.
Hac de materia dis-facta-putatio teſtis
Eſt vera ingenii judiciiq́ꝫ Tui:
Quâ visâ & lectâ felix mox concipit omen,
Ac talem de Te Spem facit alma Themis:
Practicus Hic juſtus quondam fauſtusq́ꝫ, futurus,
Cui promet gratus munera prompta Cliens.

Ita gratulabundus vovet
ADRIANUS BEIER. V. J. D.

ES fiel der Meder-Lew mit ſeiner Macht darnieder:
Der Perſer grimme Beer verlohr die Bärenhaut:
Und denn der Griechen Pard/der manchen Feind geſchaut/
Brach bald den Hals entzwey/ und ſtreckte ſeine Glieder
Zur ewiglichen Ruh. Der Römer Thier alleine
Steht/weil das groſſe Rund der Welt nicht fället ein/
Auf ſeinem eiſern Fuß: Ob der gleich endlich Stein
Und thönern worden iſt. Es ſtützt des Thieres Beine
Recht und Gerechtigkeit. Mein Freund/dem mich verbunden
Gott/Tugend/und die Zeit/mein Walther deine Hand
Zeigt diß in kluger Schrifft / die das gelehrte Land
Mit Nutzen leſen wird: Darinnen wird gefunden/
Wie in der Kammer dort zu Speyr des Reiches Stände
Die Urthel ſuchen durch / und ſprechen der Parthey
Nach klarem Recht das Recht. So bleibt vom Falle frey
Das Römiſch-Teutſche Reich biß zu dem letzten Ende!

Dieſes ſatzte ſeinem brüderlichen Freunde
zu Ehren auf

Zacharias Hügel/aus Schleſien.

WAs den Alcides hat zu tapfern Thaten angetrieben/
Und daß er auf der Bahn der wehrten Tugend ſtets
geblieben/
Iſt eben auch/mein Freund/ in ſeine Bruſt gelegt;
Es reitzt Ihn/daß Er ſtets den Müſſiggang ausſchlägt.
Wir ſehn ja itzt die Frucht des bloſſen Fleiſſes vorgeſtellet/
Und mit was Nutzen ER ſich zu den Rechten hat geſellet/
Wir ſpüren ſchon / wie ſich das Vaterland erfreut/
Wie es Glückzu!Glückzu! aus wahrer Gunſt zuſchreit.
Er renne nur ſo fort die Bahn/die Er ſo wol hat angefangẽ/
So wird Er zum geſteckten Ziel nach ſeinem Wünſchẽ hin-
gelangen/

Denn

Denn wie dem Leibe ſtets daß Schatten-Bild nachgeht/
So eben folgt der Lohn dem/ der nach Tugend ſteht.

Solches wenige ſetzte ſeine ſonderliche Zuneigung gegen dem Urheber gegenwärtiger Diſputation zu bezeigen in Eil auf

George Kamper/LL.Stud.

IN dem der bunte Maj uns tauſend Blumen zeiget/
Zeigt Er/geehrter Freund/die Früchte ſo durch Ihn
Geſät das Vaterland. Die hohe Themis ſteiget
Durch ſeine Wiſſenſchaft. Diß was den Modeſtin
Und den von Tyrius unſterblich hat gebohren
Lebt ſchon in ſeiner Bruſt. Wir ſehn in Ihm aufgehn
Das Licht ſo Celſum hat zur Hoheit auserkohren/
Und wodurch African muß bei der Sonnen ſtehn.
Diß iſt noch nicht genug/es muß auch kräftig zeugen
Das hochgelehrte Speir von Seinem blaſſen Fleiß/
Er ſucht die Kammer durch/und machet ſich zu eigen/
Was Ihn unſterblich macht. Glükk zu zu dieſem Preiß!

Joh. George Frantz/Beider Rechte Befliſſener.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.